HOMILIA

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

CLEMENTIS XI.

PONT. MAX.

HABITA

IN DOMINICA RESURRECTIONIS

CHRISTI DOMINI

Inter Miſſarum Solemnia

IN BASILICA PRINCIPIS APOSTOLORUM

ANNO MDCCXI.

FLORENTIÆ. M.DCC.XI.
Typis Regiæ Celſitudinis. Apud Jacobum
de Guiduccis, & Sanctem Franchi.

Superiorum Permiſſu.

1872

Digitized by Google

Quærentes Chriſtum mulieres conſurrexere diluculò: Anticipaverunt [a] vigilias oculi earum, ut Dominum invenirent: Detulerunt manè ad Sepulchrũ aromata, ut [b] ungerent Jeſum. *Valdè manè* [c] *una Sabbathorum veniunt ad monumentum*. Manè ſiquidem, manè quærendus erat ille qui dixit: *qui manè* [d] *vigilant ad me, invenient me*. Hinc quia omnibus vigilantior, & cum [e] adhùc tenebrę eſſent, jam ad Chriſtum quærendum egreſſa, anteivit cęteris Magdalena, feliciori inter illas ſorte, meruit hæc prior eſſe teſtis divinæ reſurrectionis: *Apparuit primò Mariæ Magdalenæ*: Sic olim Bethleemici Paſtores, cuſtodientes [g] vigilias noctis ſuper greges ſuos, divini ſolis exortum ſibi præ cęteris ab Angelo nunciari meruerunt, & primi vagientem inter homines Deum agnoverunt; erant ſcilicet in regione [h] illa vigilantes, auditâque Cęlitum voce venerunt [i] feſtinantes. Vigilabant ſimiliter Magi remotioris Orientis habitatores, cum ſtellam viderunt; nec ſanè ſtellam vidiſſent, niſi vigilaſſent: *Vidimus* [k] *ſtellam ejus in Oriente*. Et quia ſtatim ac novi ſyderis claritatem viderunt, nullâ interpoſitâ cunctatione, venerunt: *Vidimus ſtel-*

a *Pſalm.* 76. v. 1.
b *Marc. cap.* 16. v. 1.
c *Ibidem* v. 2.
d *Proverb. cap.* 8. v. 17.
e *Joan. cap.* 20. v. 1.
f *Marc.* 16. v. 9.
g *Luc. cap.* 2. v. 8.
h *Ibidem*
i *Ibid.* v. 16.
k *Matth. cap.* 2. v. 2.

lum, [l] *venimus adorare:* cęleſtem Infantem ſtellâ Duce invenerunt, & inventum ad fidei magis facem, quàm ad ſolis lucem oblatis muneribus adorarunt. *Qui manè vigilant ad me, invenient me*. Meritò propterea Propheta Regius ad Dominum clamare conſueverat: *Prævenerunt* [m] *oculi mei ad te diluculò: In matutinis* [n] *meditabor in te: manè exaudies* [o] *vocem meam: manè* [p] *aſtabo tibi, & videbo: manè* [q] *oratio mea præveniet te: Exultabo* [r] *manè miſericordiam tuam*. Noverat hęc (Venerabiles Fratres, Dilecti Filii) noverat hæc Pater credentium [s] Abraham, cum noctu [t] ſurrexit cęleſti voce excitatus, ut jubenti Deo unigenitum filium ſuum, quem diligebat, Iſaac celeri obedientiâ immolaret. Noverat Jacob manè [u] conſurgens, ut in loco, qui domus Dei erat, & porta Cęli, lapidem erigeret in titulum, ac Votum Domino voveret. Noverat Ezechias, [x] abolitum Dei cultum aperto templo, reſtitutiſque Sacerdotibus ante Lucis exortum inſtauraturus: Noverat Joſue, diluculò [y] itidem ſurgens cum bellatoribus ſuis, ut clangentibus tubis Civitatem Jerico expugnaret. Diluculò exurgere juſſus eſt Moyſes, ut ſtaret coram Pharaone: *Dixit quoque Dominus ad Moyſen: Conſurge diluculò*, [z] *& ſta coram Pharaone*. Diluculò liberavit Dominus Iſrael de manu Ægyptiorum: *Jamque* [aa] *advenerat vigilia matutina, & ecce reſpiciens Dominus ſuper Caſtra Ægyptiorum per columnam ignis, & nubis interfecit exercitum*

Ibidem
m Pſalm. 118. v. 148.
n Pſalm. 62. v. 7.
o Pſalm. 5. v. 4.
p Ibidem v. 5.
q Pſalm. 87. v. 14.
r Pſalm. 58. v. 17.
s Roman. cap. 4. v. 18.
t Geneſ. cap. 22. v. 3.
u Geneſ. cap. 28. v. 17. & 18.
x 2 Paralip. cap. 29. v. 20.
y Joſ. cap. 6 v. 15. & ſeqq.
z Exod. cap 8. v. 20.
aa Exod. cap. 14. v. 24.

tum

tum eorum. Diluculò offerebat [bb] populus vota in uſus Sanctuarii. Diluculò ſurgebat Job, [cc] ut Domino pro filiis ſacrificaret. Diluculò demùm decidebat [dd] è Cęlo manna, quo filii Iſrael in ſolitudine nutriebantur, & quod ab igne [ee] exterminari non poterat, ſtatim ab exiguo ſolis radio calefactum tabeſcebat: ut notum omnibus eſſet, divinâ ita nos edocente ſapientiâ, quoniam oportet prævenire ſolem ad benedictionem Dei, & ad ortum Lucis Dominum adorare. Manè, *valdè manè una Sabbathorum veniunt ad monumentum*. *Qui manè vigilant ad me, invenient me*. Manè igitur, Dilectiſſimi, manè quærendus eſt Chriſtus. Manè, hoc eſt, ſine ullâ cunctatione: Manè, hoc eſt, ante alia quæcumque: Manè, hoc eſt, non expectatâ altitudine illâ diei, quam David formidabat, cum diceret: *Ab altitudine* [ff] *diei timebo*. Hanc diei altitudinem expectare profectò voluit ſuum poſt lapſum infelix hominum Parens, cum in horro voluptatis, etiam poſtquam apertis ejus oculis ſe [gg] nudum eſſe cognoverat, nec dum adhuc de eo, quod peccaverat, dolens, minaci Dei voce ad auram poſt meridiem deambulantis perculſus fuit. At contrà ſaniori conſilio diei altitudinem iſtam minimè expectavit Apoſtolorum Princeps, cum Gallo canente, cujus eſt jacentes excitare, ac ſomnolentos arguere, peccati, quod eâdem nocte commiſerat, admonitus, confeſtim egreſſus eſt foras, [hh] & flevit amarè. Adam delicti

bb *Ex* cap. 30. v. 3.

cc *Job.* cap. 1. v. 5.

dd *Exod.* cap. 16. v. 13.

ee *Sapien.* c. 16. v. 27. & 28.

ff *Pſalm.* 55. v. 4.

gg *Geneſ.* cap. 3. v. 7. & 8.

hh *Matt.* cap. 26. v. 75.

con-

conſcius quæſivit latebras: Petrus peccati pęnitens properavit ad lachrymas. Erubuit Adam: Ingęmuit Petrus; Hic ut culpam emendaret: ille ut excuſaret. Adam ſcilicet poſt meridiem deprehenſus pęnam tulit: Petrus Galli cantu excitatus pęnitentiam egit. Delevit hic fletibus peccatum ſuum: ille non modò non delevit ſuum, ſed miſerè tranſmiſit ad poſteros. Timeamus itaque timeamus cum Prophetâ altitudinem diei, & cum eo clamemus ad Dominum:
[ii] *Pſalm. 142. v. 8.* *auditam* [ii] *fac mihi manè miſericordiam tuam. Ad*
[kk] *Pſalm. 29. v. 6.* *veſperum enim* [kk] *demorabitur fletus, & ad matutinum lętitia.* Obtulit Abel Deo holocauſtum matutinum: Obtulit Cain ſacrificium veſpertinum; hoc eſt: Dedit Abel [ll] de primogenitis
[ll] *Geneſ. cap. 4. v. 3. 4. & 5.* gregis ſui, quod pinguius poſſidebat, & citò: Dedit Cain de fructibus terræ, quod deterius habebat, & ſerò. Reſpexit propterea Dominus ad Abel, & ad munera ejus: ad Cain verò, & ad munera illius non reſpexit. Ne igitur reſervemus Domino effætæ, ac languidæ ætatis cor-
[mm] *Pſal. 17. v. 5.* ruptos fructus, & putridos, cum [mm] ſcilicet circumdabunt nos dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbabunt nos. Offeramus ei incolumes adhuc, & vegeti ſacrificium matuti-
[nn] *Habacu cap. 3. v. 11.* num; Non expectemus lucem ſagittarum [nn] ſuarum, ac ſplendorem fulgurantis haſtæ ſuæ: cum
[oo] *Proverb. cap. 1. v. 27.* irruerit [oo] repentina calamitas, & interitus quaſi tempeſtas ingruerit. Præveniamus flammas ful-
[pp] *Pſal. 10. v. 7.* gurum, & ſpiritum [pp] procellarum, ut Portum tenea-

teneamus: in diluvio [qq] ſiquidem aquarum multarum ad eum non appropinquabimus; cum enim Domini verba ſint illa: *quæretis* [rr] *me, & invenietis, cum quæſieritis me in toto corde veſtro:* non utique invenient Dominum, qui eum toto corde non quærent, nec ii verè unquam toto corde illum quærent, de quibus ſcriptum eſt: *Diviſum eſt* [ſſ] *cor eorum, nunc interibunt.* Ut ergò Dominum inveniamus, quæramus eum, dum [tt] inveniri poteſt: quæramus toto corde, ut invenire poſſimus: quæramus manè, ut toto corde quæramus. Quæramus cum Evangelicis mulieribus, ambulantes in luce matutinâ: Vigilemus, exurgamus, feſtinemus; Ac quemadmodum juſſi ſunt filii Iſrael agnum comedere [uu] feſtinanter, comedamus & nos Paſcha noſtrum cum feſtinatione, hoc eſt, præcepta vitæ [xx] ſine morâ impleamus, cęleſtis patrię gaudia ſine morâ inquiramus. Nemo torpeat in itinere; nemo ſalutis ſtudia retardet. Scimus nunc nobis fas eſſe peccata noſtra deflere: an id ipſum cras liceat, ignoramus; qui enim [yy] pœnitenti veniam ſpopondit, peccanti diem craſtinum non promiſit. Hodiè, hodiè, ſi [zz] vocem Domini audierimus, non obduremus corda noſtra. Ecce nunc [aaa] tempus acceptabile: ecce nunc dies ſalutis. Imitemur Principem illum Publicanorum, qui ſtatim ac ejus auribus intonuit Chriſti vox: *Zacchæe* [bbb] *feſtinans deſcende, quia hodiè in domo tua oportet me manere:* feſtinans deſcendit,

[qq] *Pſal.* 31. *v.* 6.
[rr] *Jerem cap.* 29. *v.* 13.
[ſſ] *Oſ cap. v.* 2.
[tt] *Iſai. cap.* 55. *v.* 6.
[uu] *Exod. cap.* 12. *v.* 11.
[xx] *Ex S. Gregor. homil.* 22. *in Evang. circa fin.*
[yy] *S Gregor hom.* 12. *in Evang. poſt med.*
[zz] *Pſal.* 94. *v.* 8.
[aaa] 2. *Corinth. cap.* 6. *v.* 2.
[bbb] *Luc. cap.* 19. *v.* 5. & 6.

dit, & excepit illum gaudens. Unde meruit à Domino verba illa audire. *Hodiè* [ccc] *ſalus domui huic facta eſt: eo quod & ipſe filius ſit Abrahæ.* Sumus & nos, Dilectiſſimi, ſumus & nos Abrahę filii, quia ex fide [ddd] ſumus, & ſanè non ancillæ filii, [eee] ſed liberæ: ſecundum promiſſionem [fff] hæredes; accipiemus autem hęreditatem [ggg] incorruptibilem, & incontaminatam, ad quam vocati ſumus, ſi auditâ Chriſti voce, quæſierimus eum hodiè, quæſierimus manè, quæſierimus feſtinanter. Sic Chriſtum quærentes, inveniemus eum, ac cum eo [hhh] inveniemus vitam, & hauriemus ſalutem à Domino.

ccc *Ibid* v. 9.
ddd *Galat. cap.* 3. v. 7.
eee *Ibid. cap.* 4. 31.
fff *Ibid.* p. 3. v. 29.
ggg 1. *Petri cap.* 1. v. 4.
hhh *Proverb. cap.* 8. v. 35.

33 253S25